

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Clarissimo uiro,eruditione,&c.D.Christophoro Pannonio,professori
Francofordiae cis Oderam

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

252

Clarissimo uiro, eruditione & uirtute
præstanti, D. N. N. docenti illustrissimū
Principem Marchionem N. N. &c.
charissimo fratri suo.

Clarissime uir: Nosti Musarum cantilenam, ἄρτι
λαλῶν φίλον ἐστί. Quod cum ita sit, ne fieri quidem
potest, quin te ualde amē, cum orationis tuæ suauitatis
eximia sit. & character est animi orationis forma. Quare cum nature tuæ bonitas & orationis
splendor inuicent me ad te diligendum, scias me tuæ
amicitiæ ualde cupidum esse: tibiq; gratiam habeo,
quod beneuolentiā mihi tuam, que mihi gratissima
est, prior significasti. In tantis disidijs generis
humani optandum est, ut plurimi boni, eruditi,
amantes publicæ concordie, sese coniungant, ut mi-
nus deformis sit Ecclesiæ species. Vides quod tendat
petulantia multorum, qui taxatione disciplina &
literarū uituperatione uulgi plausus captant. Sed
interpellat tabellarius. Te oro, ut sepius ad me scri-
bas. Et si autem uincor abs te orationis nitore: tamē
amore & officio scribendi uinci me non sinam. Be-
ne uale. Quarto Ianuarij, anno 1558. qui utinam no-
bis omnibus faustus & felix sit.

Clarissimo uiro, eruditione, &c. D. Chri-
stophoro Pannonio, professori Fran-
cfordiæ cis Oderam.

Doctissime uir, & charissime frater. Quod de
mea

mea uita solliciti estis, agnosco tuam & aliorum beneuolentiam: ac debere me uobis gratitudinem factor. Utinam uerò possem illustribus officijs uicissim meam beneuolentiam uobis ostendere. Sed uerè sum *omnis* *svap*, ut Pindarica descriptione utar. Verùm donec Deus in hac statione me uult seruire, iustum est me obtemperare: ac ipsum oro, ut me gubernet. *Amicitie uerò nostrae semper memor ero. & in hac uita militia, & illa eterna Academia, in qua fruemur nostra cõiunctione dulcius, & habebimus doctores et collegas cum quibus suauius philosophari potuerimus, quàm habet hæc uita.* Scribo breuiter: quia subito luctu animus meus occupatus est. Heri enim ancilla generi mei, modeste puella, in horto, cum nos in templo essemus, fulmine icta periit. Moueor non solum hoc tristi casu, sed etiã omine. Sed oro filiũ Dei, ut publicas & priuatas pœnas nobis leniat. Bene uale. Die 8 Iulij.

Clarissimo uiro, eruditione & uirtute præstanti, D. Paulo Ebero, amico suo
& fratri charissimo.

Et uos liberatos esse miserijs obsidionis, & opidum utcumq; seruari gaudeo. Ac utrumq; assiduus & ueris gemitibus & uotis à Deo petiui. Nec in hoc meo exilio magis de meis miserijs, quàm de Pastore, de Crucigero, de te, deq; cæteris inuocantibus

Windsor p. 327.

I, 122.